

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATI

VOL. XIX - N. 1

1987

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 1

Semestrale

IUNIO 1987

Spediz. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio Summi Pontificis ad Praelatos Auditores, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	3
---	---

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

Ex Instructione « <i>Il rispetto della vita umana nascente e la dignità della pro-creazione</i> »	9
---	---

CONGREGATIO PRO CLERICIS

Litterae circulares ad omnes Episcoporum conferentiarum Praesides. De Canon- corum vestibus choralibus insignibusque	12
---	----

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Decretum quo Indulgentiae plenariae pro Anno Mariali conceduntur	13
--	----

SUPREMUM SIGNATUREAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Declaratio de recto modo procedendi in declaranda nullitate matrimoniorum suc- cessive initorum	16
--	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

I. Coetus studiorum recognoscendis Normis Generalibus Codicis (Sessio III)	19
II. Coetus studiorum recognoscendis Normis Generalibus Codicis (Sessio IV)	68
III. Coetus studiorum « <i>De Sacra Hierarchia</i> » (olim « <i>De Clericis</i> ») (Sessio V)	106

ACTA COMMISSIONIS

Responsa ad proposita dubia	149
Notitiae	150
Opera a Bibliotheca Commissionis recepta	151

II

COETUS STUDIORUM
RECOGNOSCENDIS NORMIS GENERALIBUS CODICIS

Sessio IV

(diebus 28-31 ianuarii 1969 habita)

Diebus 28-31 ianuarii 1969, in aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas generales Codicis.

Conventibus intererant decem Consultores inter quos tres recenter nominati et Rev.mus Commissionis Secretarius Adjunctus, qui munere praesidis fungebatur; praeterea aliquos conventus participatus est Em.mus Cardinalis Praeses Commissionis.

Quaestio proposita, in hac sessione tractanda, erat: *legislatio canonica de dispensationibus*.

Antequam vero de hac quaestione tractarent, huius coetus membra relationem de priore huius coetus sessione approbaverunt, atque animadversiones nonnullas proposuerunt de aliquibus canonibus titulum Codicis « de legibus » et titulum « de consuetudine » respicientibus, et alias etiam mutationes introducendas in textu canonum antea admissis approbarunt.


Ad quaestionem de dispensationibus, vota ad Commissionis Secretariam miserunt novem Consultores.

I

DISCEPTATIO DE RELATIONE SESSIONIS III
ET DE CANONIBUS IN RELATIONE CONTENTIS

Rev.mus Secretarius Adjunctus petit utrum Consultores ipsam relationem approbent necne.

Omnes Consultores approbant relationem uti est. Attamen adest Consultor qui proponit sequentes animadversiones de canonibus in relatione contentis:



a) DE LEGIBUS:

Canon 17

Non solvitur oppositio inter § 1 et MP *Cum iuris canonici*, ex una parte, et § 3 ex altera parte. Evidem, si leges authentice interpretari potest etiam « is cui potestas (authentice) interpretandi ab eisdem concessa », et MP dicat: « cui (Commissioni) uni ius erit Codicis canones authentice interpretandi », quomodo interpretatio a iudice per medium sententiae judicialis vel a superiore per modum rescripti in re peculiari potest appellari « authentica »?

b) DE CONSuetudine:

Canon 26 § 2

Melius est dicere: « Nec consuetudo contra aut praeter ius canonicum vim legis obtainere potest, nisi ... ». Id est ponatur prius subiectum et deinde praedicatum.

c) DE RESRIPTIS:

Canon 4

Post verbum « litterae », adderem: « salvo praescripto canon 14 », quia si rescriptum debet praesentari, orator non debet vel non potest valide eodem uti ante presentationem.

Canon 6 § 1

Linea 2^a, post verbum « secundum », ponerem « Codicem », vel « Codicis praescripta », quia nonnumquam etiam Codex exigit ut aliquid in libello necessario dicatur, seu ut vitetur vitium subreptionis, v. gr. in can. 1052.

Canon 6 § 3

Valet non modo de causa motiva, verum etiam de iis quae sunt necessario exprimenda.

Canon 8

Ponerem uti primam paragraphum secundum comma § 3: « Gratia ab Episcopo dioecesano denegata ... »; et primam paragraphum po-

nerem in fine. Ratio, quia hoc modo hierarchicus ordo servatur melius, et imprimis sermo esse debet de repulsa quae respicit validitatem, et deinde de repulsa quae respicit liceitatem concessionis.

Canon 26 § 1

Linea secunda, verbum « tantummodo » ponatur post « obtinet », idest « obtinet tantummodo », quia melius hoc modo sensus exprimitur.

a) *De legibus*

Ad canonem 17 animadvertisit Rev.mus Secretarius Adiunctus sententiam iudicialem vim legis non habere, sed pro illo casu valorem authenticum habere, quia ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est.

Quidam Consultor approbat textum uti est et non concordat cum animadversionibus supra allatis; rationes sunt sequentes:

- 1) generi per speciem derogatur;
- 2) in textu dicitur « per modum sententiae » non « per modum legis » et interpretatio per modum sententiae judicialis ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est.

Omnes Consultores concordant ut textus can. 17 remaneat uti est.

Ad canonem 15

Adest Consultor qui proponit ut in ultima phrasi « nisi agatur... etc. » ponatur antiqua formula: « dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet ».

Concordant omnes Consultores.

b) *De consuetudine*

Ad canonem 26 § 2

Rev.mus Secretarius Adiunctus quaerit utrum textus maneat an mutetur secundum propositionem allatam a quodam.

Textus, de omnium Consultorum sententia, uti est maneat.

c) *De rescriptis*

Ad canonem 4

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit adiunctionem « salvo praescripto can. 14 » sonare uti exceptionem.

Textus uti est maneat, secundum omnium sententiam.

Ad canonem 6 § 1

Rev.mus Secretarius Adiunctus quaerit utrum melius sit dicere « secundum iurisprudentiam ».

Unus e Consultoribus proponit ut loco verbi « iurisprudentiam » ponatur verbum « ius » quia est forma generalior.

Consultores omnes, uno excepto, consentiunt ut dicatur « secundum ius et iurisprudentiam ».

Ad canonem 6 § 3

Secundum Rev.mos Secretarium Adiunctum et socium, sufficit quod una causa motiva sit vera. Canon 6 § 3 non valet de casu subreptionis, sed valet tantum pro casu obreptionis.

Textus remanere potest uti est, secundum omnium sententiam.

Ad canonem 8 § 3

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Adiunctus in hoc canone se tradidisse disciplinam quae habetur in M.P. « Ecclesiae Sanctae », I, n. 14 § 4.

Quidam Consultor proponit ut textus maneat uti est, quia magis logicus videtur.

Concordant omnes.

Ad canonem 25 § 1

Consentiunt omnes de mutatione a Rev.mo Consultore proposita scilicet loco « tantummodo obtinet » ponatur « obtinet tantummodo ».

d) *De privilegiis*

Ad canonem 7 (72) § 2

Quidam Consultor aestimat § 2 esse normam generalem, non necessario enuntiandam in Codice; item can. 10, § 1.

Est Consultor qui proponit ut remaneat can. 7 § 2 uti est. Ratio: in Codice enuntiari debent etiam principia; e contra, Codices Civiles, qui finem practicum persequuntur, non ponunt normas generales.

Concordant omnes ut textus maneat uti est.

II

DISCEPTATIO DE DISPENSATIONIBUS

1. *Ad canonem 80*

Rev.mus quidam Consultor in suo voto scripto affirmat sequentia: « I. Sub aspectu significationis verborum notare liceat: Dispensatio est relaxatio obligationis legis in casu particulari (cf. can. 80). Optandum est ut hic terminus technicus reservetur ad designandam talem legis relaxationem. Aliis verbis: Non sit sermo de dispensatione:

a) pro solutione obligationis personaliter coram Deo admissae, uti pro solutione vinculi matrimonialis in casu matrimonii rati non consummati, pro solutione voti, etc.;

b) pro condonatione poenae vindicativae.

Opportuna — quoad verborum significationem — est etiam definitio termini « *licentia* », quae saepe confunditur cum dispensatione ».

« II. Sub aspectu functionis dispensationis in iure canonico notare liceat:

Cum lex ordinetur ad bonum commune, non observatio legis, etsi in casu particulari, bonum commune tangit, aut saltem tangere facile potest.

Hac ratione in iure dispensatio habetur vulnus legis. Ex hac eius indole concluditur ad necessitatem strictae interpretationis dispensationis, ne bonum commune damnum patiatur, ad restringendas dispensationes, in quantum hoc sit possibile etc.. Attamen, altera ex parte, dispensatio in iure canonico functionem etiam positivam habet, quantum ipsa destinatur ad rigorem iuris in casu particulari temperandum, ut ita indoli spirituali iuris canonici satisfiat.

Forte initio huius tituli poni potest notio dispensationis ita ut ipsa appareat sub hoc aspectu negativo et positivo ».

Rev.mus Consultor in sua relatione facit sequentes animadver-siones:

« 1) Can. 80 - Deux remarques: le principe général énoncé au can. 80 (le pouvoir de dispenser n'appartient de droit propre qu'au législateur, à son successeur et à son supérieur) n'est plus adapté, à mon avis, à la condition juridique des Evêques, voire aux pouvoirs de dispenser qui leur sont reconnus actuellement.

D'autre part, ne conviendrait-il pas de préciser que le pouvoir de dispenser ne concerne que les lois purement ecclésiastique?

Nous proposons donc la rédaction suivante: Canon 80: Dispensatio, seu legis mere ecclesiasticae in casu speciali relaxatio, concedi potest ab illis, qui, una cum conditore legis, eius successore vel superiore, iure proprio dispensare valent ac iure derivato ab illo cui iidem facultatem dispensandi concesserint ».

1) Rev.mus Secretarius Adiunctus declarat quod possibile est introducere in notione dispensationis omnia quae suggerit Rev.mus prior Consultor et proponit formulam sequentem:

« Dispensatio, seu legis mere ecclesiasticae in casu speciali relaxatio ».

Est Consultor qui non concordat cum formula de quo supra et declarat quod nulla restrictio facienda est in dispensatione et dispensatio valet sive pro legibus mere ecclesiasticis sive pro lege divina.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit hic agi de lege ecclésiastica, non de lege divina.

Est Exc.mus Consultor qui notat quod vocabulum « dispensatio » adhibetur insuper ad designationem dissolutionem matrimonii rati et non consummati (can. 1119).

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus quod in hoc casu agitur de vocabulo, non autem de dispensatione ut in can. 80.

Duo Rev.di Consultores affirmant quod in can. 80 sermo fit tantum de lege ecclésiastica.

In stat Rev.mus Consultor in canone 80 agi de quacumque dispensatione et declarat quod textus non restringendus est, sed applicandus est sive legi ecclesiasticae sive legi divinae.

Alter Consultor declarat:

1) In tota traditione disciplina de dispensationibus semper habuit ut obiectum leges mere ecclesiasticas;

2) Ex altera parte si non restringimus sensum vocabuli dispensationis, insurgent multae difficultates, quia in Ecclesia possunt esse diversi ordines (leges divinae positivae, leges naturales, leges ecclésiasticae).

Rev.mus tertius Consultor proponit ut nihil immutetur in can. 80, quia est definitus, tamen aestimat in Commentario dici posse dispensationem etiam a voluntate legislatoris pendere.

Rev.mus Secretarius Adiunctus non consentit cum Rev.mo Con-

sultore de quo supra, quia censem in Codice omnia quantum possibile sit definienda esse nec interpretationi relinquenda esse.

Rev.mus quidam Consultor proponit ut non dicatur dispensatio legis « mere ecclesiasticae », ut Rev.mus Secretarius Adiunctus suggerezat, sed tantum « dispensatio legis ecclesiasticae ».

Exc.mus Consultor animadvertisit hic agi de normis generalibus, de legibus ecclesiasticis, et ideo dicendum esse quod dispensatio interpretanda est in sensu stricto de legibus ecclesiasticis.

Est Rev.mus Consultor mordicus tenens quod dicendum est « dispensatio legis mere ecclesiasticae ».

Instat etiam Rev.mus Consultor adfirmans non claudenda esse ianua pro quacumque dispensatione.

Suffragium fit de quaestione utrum in canone 80 ponendum sit:

- 1) « dispensatio seu legis ecclesiasticae relaxatio... ». an
- 2) « dispensatio seu legis mere ecclesiasticae relaxatio... » an nihil immutandum.

Omnis, duobus exceptis Rev.dis Consultoribus, concordant ut in canone dicatur: « dispensatio, seu legis ecclesiasticae in casu particulari relaxatio ».

2) Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut in ultima parte canonis 80 dicatur « necnon ab illis qui habent potestatem ab ipso iure aut per legitimam delegationem ad normam canonis ... », se referens particulari modo Vicario Generali qui, ut declarat ipse Rev.mus Secretarius Adiunctus, si non habet potestatem dispensationis, nullam habet potestatem.

Quidam adest qui non consentit ut in can. 80 adiungantur verba « ab ipso iure ».

Rev.mus Consultor proponit ut in canone sermo fiat « de delegatione a iure », quod non placet Rev.mo Secretario Adiuncto.

Quidam Consultor una cum Secretario Adiuncto declarat quod ad normam Decreti *Christus Dominus* Concilii Vaticani II « singulis Episcopis diocesanis facultas fit a lege generali Ecclesiae in casu particulari dispensandi », et tamen haec facultas non est ex iure divino sed conceditur a Vaticano II.

Est Consultor qui animadvertisit in n. 8 eiusdem Decreti sub litera a) poni normam generalem:

« Episcopis, ut Apostolorum successoribus, in diocesibus ipsis commisis per se omnis competit potestas ordinaria, propria et immediata, quae ad exercitium eorum munieris pastoralis requiritur, firma semper

in omnibus potestate quam, vi muneric sui, Romanus Pontifex habet sibi vel alii Auctoritati causas reservandi ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus censet *addi* posse in Codice quod Episcopi in casibus particularibus possunt dispensare in legibus quas speciatim tulerit Romanus Pontifex, pro illo territorio peculiari nisi, etc...

Notat Rev.mus quidam Consultor quod hoc iam dicitur in canone 82 C.J.C.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus quod in canone 82 C.J.C. dicitur contrarium, excepto casu in quo difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem.

Ad canonem 80 Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit sequentem textum:

« Dispensatio, seu legis ecclesiasticae in casu speciali relaxatio, concedi potest a conditore legis, eius successore vel in potestate legislativa Superiore, necnon ab illis quibus potestas dispensandi (explicite aut implicite) conceditur sive ipso iure sive per legitimam delegationem ».

Rev.mus quidam Consultor proponit novam terminologiam: « ... iure proprio dispensare valent ac iure derivato ab illo cui iidem facultatem dispensandi concesserit ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus quaerit utrum introducenda sit haec nova terminologia de iure proprio et de iure derivato.

Est quidam Consultor qui non consentit de hac nova terminologia quia declarat quod ex ipsa natura muneric Episcopi, in Ecclesia, non datur distinctio inter varias potestates; Episcopus potest contra ius particolare agere et insimul tueri bonum animarum.

Alter Consultor non videt necessitatem novae terminologiae de iure proprio et de iure derivato.

Rev.mus tertius Consultor censet verba « in potestate legislativa » supprimi posse, quia iam ex contextu id intelligitur; proponit ergo ut verba « in potestate legislativa » supprimantur et ponantur tantum verba « eius successore vel superiore ».

Est qui proponit ut loco « conceditur » ponatur « competit »; quod omnibus placet.

Rev.mus Secretarius Adiunctus quaerit utrum textus ab ipso propositus manere debeat uti est an mutandus sit secundum propositiones Rev.mi Consultoris, qui vult supprimere verba « in potestate legislativa ».

Plerique proprium suffragium dant in favorem textus uti est.

Rev.mus Secretarius Adiunctus querit utrum verba « (explicite aut implicite) » manere debeant in textu.

Secundum maioritatem Consultorum (= 6: contra 5), verba servanda sunt.

Ergo textus can. 80 probatus est ita ut hoc modo sonet:

Canon 80

Dispensatio, seu legis ecclesiasticae in casu speciali relaxatio, concedi potest a conditore legis, ab eius successore vel in potestate legislativa superiore, necnon ab illis quibus potestas dispensandi explicite aut implicite competit sive ipso iure sive vi legitimae delegationis.

2. Ad canonem 81

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit sequentem textum et comparationem facit cum canone 19 de Episcopis dioecesanis a Coetu « de Sacra Hierarchia » approbato.

Canon 81

§ 1. Ab universalibus Ecclesiae legibus, itemque a legibus a supra Ecclesiae auctoritate latis pro suo territorio, dispensare valent Episcopi diocesani, ad normam can. (novi canonis de Episcopis).

§ 2. Si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, omnes Ordinarii infra Romanum Pontificem (necnon Superiores maiores qui in Institutis religiosis aliisque aequiparatis potestate exsecutiva gaudent), in casu particulari dispensare valent in legibus Ecclesiae universalibus atque in legibus particularibus a supra auctoritate latis, de quibus in can. 19, etiam si dispensatio reservetur Sanctae Sedi, dummodo tamen agatur de dispensationibus quae Sancta Sedes in iisdem adiunctis concedere solet.

De Episcopis dioecesanis, canon 19, a Coetu « de Sacra Hierarchia » approbatus est sequens:

Canon 19

§ 1. Episcopus dioecesanus in disciplinaribus legibus universalibus Ecclesiae, quae bonum spirituale fidelium directe intendut, tum praeceptivis et prohibitivis, tum irritantibus et inhabilitantibus, dispensare valet, in casibus particularibus, fideles in quos ad normam can. ...

auctoritatem exercet, quoties id ad eorundem bonum spirituale conferre iudicet, firmo praescripto canonis 81 § 2 (de dispensationibus) et salvo praescripto § 2.

§ 2. Dispensare nequit in legibus in quibus iuris praescripto vel decreto particulari dispensatio Apostolicae Sedi aliive auctorati specialiter reservatur.

1. *Ad canonem 81, § 1*

Rev.mus quidam Consultor proponit ut can. 81 § 1 ita emendetur « ab universalibus Ecclesiae legibus, *aliisque* a Suprema Ecclesiae auctoritate latis pro suo territorio ... etc. ». Placet omnibus.

Alter autem Consultor declarat quod iam in relatione scripsit, idest: Decretum « Christus Dominus », n. 8 b), enim, agit de applicatione exceptionis, quae in ipso canone praevidetur: Ordinarii dispensare nequeunt « nisi haec potestas eisdem fuerit explicite concessa ». Decretum ergo continet explicitam concessionem per modum facultatis ordinariae, sed vicariae, quae determinat sive subiectum activum et passivum, sive modum et causam dispensationis. Quam ob rem canon 81 debet manere uti iacet.

Est Consultor qui legit propriam emendationem canoni 81, ubi affirmat necessitatem faciendi duas paragraphos et ubi, in § 1, sermo non fit « de suo territorio »:

Canon 81 § 1

A generalibus Ecclesiae legibus Episcopi dioecesani dispensare valent in casu particulari fideles in quos ad normam iuris exercent auctoritatem quoties id eorum bonum spirituale conferre iudicent, nisi a Suprema Auctoritate specialis reservatio facta fuerit.

Ipse animadvertisit in Codice sermonem fieri « de illo peculiari territorio » non autem « de suo territorio »; proponit etiam ut verba « de suo territorio » ponantur in § 2 post verba « a suprema auctoritate latis ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit verba « pro suo territorio » ponenda esse ad confusionem vitandam, quia cogitare quis posset quod agitur de territorio ipsius auctoritatis Supremae, quae « suum territorium » non habet.

Quidam Consultor ad canonem 19 § 2 « de Episcopis dioecesanis » proponit ut ponantur verba « in hisce legibus » loco « in legibus in quibus ».

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus quod communicabit coetui « de Sacra Hierarchia » has animadversiones.

Adest Consultor qui ad canonem 19 « de Sacra Hierarchia » animadvertisit in canone ipso sermonem fieri de legibus « quae bonum spirituale fidelium directe intendunt »; igitur petit quomodo concipi posset dispensatio in bonum spirituale quando agitur de legibus quae sunt ad bonum spirituale.

Suffragio facto, canon 81 § 1 probatus est ab omnibus, uti est.

2. *Ad canonem 81 § 2*

1) Rev.mus Secretarius Adiunctus petit ut norma valeat, etiamsi facilis sit recursus ad Nuntiaturam Apostolicam, non vero ad Sanctam Sedem.

Rev.mus Consultor censet necessariam esse sequentem explicacionem ad canonem 81, § 2:

« Ordinarii dispensare valent, quando etiam per viam Nuntiaturae facilis est recursus ad Sanctam Sedem vel quando Nuntius ipse habet facultatem dispensandi et ad hunc facilis est recursus ».

Ipse animadvertisit expressionem « etiamsi » esse contra decretum Commissionis interpretationis.

Alter Rev.mus Consultor censet hanc quaestionem de Nuntiatura Apostolica suum fundamentum habere in Decreto « Christus Dominus », ubi dicitur quod repraesentantes omnes S. Sedis propriam missionem absolvunt « in bonum Ecclesiarum et in servitium Sacrorum Pastorum ».

Tertius denique Consultor aestimat normam a Rev.mo Secretario Adiuncto propositam introduci posse, sed sufficere ut in relatione dicatur de Nuntiatura Apostolica, id est « etiamsi facilis sit recursus ad Nuntiaturam Apostolicam ». Concordant omnes.

2) Consultor quidam animadvertisit in can. 81 § 1 sermonem esse de « legibus universalibus »; ipse autem censet dispensationem legis se referre posse tantum ad leges disciplinares, non autem ad leges constitutivas iurium, sive sint originis divinae, sive sint originis ecclesiasticae.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus quod claritatis causa ponni potest: « in legibus universalibus, de quibus in can. 19 ».

3) Rev.mus Secretarius Adiunctus aestimat in parenthesis can. 81 § 2 sufficere textum uti est: « potestate exsecutiva gaudent ».

Rev.mus Consultor praefert hanc formulam in parenthesis: « Nec

non Superiorum Maiores, qui in Institutis religiosis aliisque aequiparatis potestate exexecutiva sunt praediti ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus quaerit utrum illa potestas concedi possit etiam laicis et mulieribus.

Rev.mus Consultor proponit ut dicatur « potestate etiam si tantummodo exexecutiva gaudent », vel « potestate saltem exexecutiva gaudent ».

Est Consultor qui aestimat formulam a Rev.mo Secretario Adiuncto propositam sufficientem esse, nec necessariam esse addictionem verbi « saltem ».

Ad quaestionem utrum potestas dispensandi concedi possit etiam laicis, et quidem etiam mulieribus, est Consultor qui censet potestatem specificę ecclesiasticam, quae ut talis non habetur in ordine civili, non posse existere in laicis, quia potestas ecclesiastica specifica est spiritualis et in ordine sacro fundatur.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus potestatem iurisdictio-
nis seu regiminis, quae cum ordine sacro cohaeret certissime reservari
clericis, sed determinandum esse quaenam potestas revera cum ordine
sacro cohaereat; in specie, censet, poni potest quaestio utrum potestas
dispensandi in quadam lege talis sit potestas quae cum ordine sacro
cohaereat. Aestimat insuper in novo iure Ordinarios dici posse Su-
periores maiores qui potestate exexecutiva tantum gaudent, etiamsi sint
Superiores maiores in religione clericali non exempta, immo vel si
sint Superiores in religione laicali.

Censet Ill.mus Consultor indagandam esse quaestionem utrum laici
possint habere potestatem aliquam ut est potestas dispensandi in le-
gibus; aestimat insuper servandam esse parenthesim, pro casu in quo
non admittitur proposita definitio Ordinarii.

Attamen, admittunt Rev.mus quidam Consultor et Secretarius
Adiunctus pro nunc supprimi posse parenthesim, quia spes haber-
potest Coetum « de Religiosis » notionem Ordinarii latiore admissi-
rum esse.

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit novum textum canonum
80 et 81 de dispensationibus, et etiam textum qui proponi potest,
coetui « de Sacra Hierarchia ».

Canon 1 (80)

« Dispensatio, seu legis ecclesiasticae in casu speciali relaxatio,
concedi potest a conditore legis, ab eius successore vel in potestate
legislativa Superiori, necnon ab illis quibus potestas dispensandi expli-
cite vel implicite competit sive ipso iure sive vi legitimae delegationis ».

Proponi potest Coetui « de Sacra Hierarchia » ut canon 19 de Episcopis diocesanis ita emendetur:

§ 1. Episcopus dioecesanus in disciplinaribus legibus tam universalibus, quam particularibus, a supra Ecclesiae auctoritate pro suo territorio latis, quae bonum spirituale fidelium directe intendunt, tum praceptivis et prohibitivis, tum irritantibus et inhabilitantibus, dispensare valet, in casibus particularibus, fideles in quos ad normam can. ... auctoritatem exercet, quoties id ad eorundem bonum spirituale conferre iudicet, firmo praescripto can. 81, § 2 et salvo praescripto § 2.

Canon 2 (81) § 1 (uti propositum est)

§ 2. Si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, omnes Ordinarii infra Romanum Pontificem in casu particulari, dispensare valent in legibus Ecclesiae universalibus et in particularibus a supra Ecclesiae auctoritate pro suo territorio latis, de quibus in can. 19 (de Episcopis diocesanis), etiamsi dispensatio reservetur Sanctae Sedi, dummodo tamen agatur de dispensatione quam Sancta Sedes in iisdem adjunctis concedere solet.

Quaerit ipse Rev.mus Secretarius Adiunctus utrum Consultores concordes sint ut haec propositio fiat illi coetui.

Omnes affirmative respondent.

Quaerit etiam utrum § 2 canonis 81 sufficiat uti est, an mentio facienda sit de alia auctoritate.

Placet omnibus textus uti est. Ergo etiam textus can. 81 § 2 probatus est.

3. *Ad canonem 82*

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit sequentem textum:

Canon 82

« A legibus diocesanis atque, in casu particulari tantum, a legibus latis a Concilio regionali aut provinciali vel ab Episcoporum Conferentia, dispensare valent Episcopi dioecesani atque Vicarii generales et, intra fines suae competentiae, Vicarii episcopales, ad normam can. (canonis novi de potestate Vicariorum generalium et episcopaliuum »).

Ipse explicat quod de verbis « Concilio regionali aut provinciali » sermo fit in schemate a coetu de Sacra Hierarchia probato, secundum ea quae habentur in Decreto « Christus Dominus », nn. 36 et 40.

Adest Rev.mus Consultor qui aestimat non esse necessarium ut mentio fiat de Vicariis Episcopalibus, sed sufficere formulam « aliquie locorum Ordinarii ».

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus determinationem, uti in canone proposito habetur, requiri claritatis causa: non enim omnes sciunt dispensationem esse actum administrativum; si ponuntur verba « aliquie locorum ordinarii », posset quis cogitare Vicarios episcopales omnes dispensationes concedere posse, dum potestatem habent tantum intra limites suae competentiae.

Ill.mus quidam Consultor censet primam lineam canonis non esse claram, quia non bene videtur si verba « in casu particulari tantum » se referunt ad leges dioecesanas aut ad leges latas a Conciliis etc..

Rev.mus Secretarius Adiunctus proponit ut virgula post « tantum » supprimatur.

Placet omnibus.

Placet canon 82 omnibus Consultoribus, ita ut approbatus est.

4. *Ad canonem 83*

In hoc canone agitur de dispensatione a parochis aliisque sacerdotibus.

1) Duo Consultores dicunt canonem supprimi posse quia parochus non habet potestatem dispensandi.

2) Omnes alii affirmant canonem servandum esse cum aliquibus animadversionibus.

Rev.mus Consultor declarat: Post vocem « parochi » textui inseratur « et confessarii », ita ut legatur « Parochi et confessarii a lege ... ». Secus vero canon maneat, licet plenam eius virtutem et ambitum materialem solummodo post confectam Codicis recognitionem rite aestimare possimus.

Est Rev.mus Consultor qui proponit sequentem formam:

« Parochi, confessarii aliquique presbyteri nec a lege universalis nec a lege particulari dispensare valent nisi haec potestas eisdem expresse concessa sit ».

Rev.mus alter Consultor censet opportunum esse ut norma haec maneat, quia forsitan in futuro augeri potest Parochorum potestas.

Rev.mus tertius Consultor proponit textum sensu positivo: « Parochi ... dispensare tantummodo valent in casibus *a iure* expresse concessis ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus censet formulam uti est servandam

esse, quia possunt dari casus in quibus Parochi dispensare possint per delegationem, et non tantummodo a iure expresse concessis.

Sunt duo Consultores qui praeferunt textum canonis uti est.

Unus e Consuloribus proponit sequentem formulam: « Parochi, confessarii aliique Sacerdotes a legibus ecclesiasticis dispensare non valent, nisi ... etc. ».

Plerique Consultores, scilicet sex, probant textum canonis in forma positiva, aliis quinque contrariis, qui censem meliorem esse formam negativam.

5. Ad canonem 84

Textus C.I.C. est sequens:

« § 1. A lege ecclesiastica ne dispensemetur sine iusta et rationabili causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio ab inferiore data illicita et invalida est.

« § 2. Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite petitur et potest licite et valide concedi ».

1. *Ad § 1.* Proponit Rev.mus Consultor ut addatur etiam rationem habendam esse « adiuncorum in casu concurrentium »: circumstantiae enim in praxi magnum momentum habere possunt, v.g. periculum scandali, vel eversionis disciplinae.

Proponit Rev.mus Secretarius Adiunctus ut momentum circumstantiarum affirmetur verbis sequentibus « ... habita ratione adiuncorum casus et gravitatis legis a qua dispensatur ».

Placet formula omnibus.

Animadvertisit Rev.mus Secretarius Adiunctus servanda etiam esse verba § 1 in fine « alias dispensatio ab inferiore data illicita est et invalida », quia invaliditas expresse affirmari debet, et concessio dispensationis ab inferiore, deficiente causa iusta, debet esse invalida, secundum iuris principia.

Placet omnibus ut maneat clausula.

2. *Ad § 2.* Proponit Rev.mus Consultor ut additio in hac § 2 fiat, vi cuius etiam valet dispensatio in dubio *de exsistentia* causae: doctrina modo sustinet dispensationem valere, etiam quando dubium adest de exsistentia causae, dummodo dubium sit obiectivum et positivum. Additio ergo fieri potest hoc modo: « Dispensatio in dubio de sufficientia vel exsistentia causae ... ».

Aestimat vero Rev.mus alter Consultor dubium de exsistentia causae reduci ad dubium de sufficientia causae.

Suffragium fit de quaestione utrum addenda sint haec verba de exsistentia causae. Negative respondent 6 Consultores. Affirmative respondent 5 Consultores. Itaque verba illa non adduntur.

6. *Ad canonem 85*

Textus C.I.C. est sequens: « Strictae subest interpretationi non solum dispensatio ad normam can. 50, sed ipsam faculta dispensandi ad certum casum concessa ».

Proponit Rev.mus quidam Consultor ut in fine canonis addantur verba « firmo praescripto can. 200, § 1 ».

Alii vero Consultores censem additionem hanc non esse necessariam, quia can. 200, § 1 non continet praescriptum contrarium.

Remanet ergo textus uti est in Codice.

7. *Ad canonem 86*

Ad textum canonis 86, uti est in Codice, nulla fit animadversio, ita ut, omnibus consentientibus, remaneat textus uti est in Codice.

8. *De subiecto passivo dispensationis*

Rev.mus Secretarius Adiunctus quaestionem movet utrum canon sit addendus, in quo definitur quibusnam personis dispensatio concedi potest, utrum nempe concedi potest peregrinis in territorio et subditis extra territorium degentibus.

Censem talem canonem non requiri Rev.mi quattuor Consultores; de sententia duorum Consultorum sufficiunt principia generalia iuris, quibus subiectum passivum dispensationis determinari potest; ad mentem aliorum duorum Consultorum, norma quaedam utilis esset, sed generalis norma de omnibus actibus administrativis.

E contra, aestimant talem canonem de dispensationibus utilem esse quinque Rev.mi Consultores et Secretarius Adiunctus. Ad mentem eorum talis norma utilis est, quia normae certae constitui debent etiam de singulis materiis; Exc.mus quidam Consultor aestimat eam utilem esse, ad instructionem Episcoporum; alter declarat regulas certas semper utilitatem prae se ferre, sed, cum agatur de competentia, regula inde ab initio tradenda est.

Concludit Rev.mus Secretarius Adiunctus canonem componendum esse, et pro sequenti conventu huius sessionis canonem proponet.

III

DISCEPTATIO DE CANONIBUS EMENDATIS SCHEMATICIS
DE DISPENSATIONIBUS

Canon 1 (80)

Probatur ab omnibus.

Canon 2 (81)

Ad § 1. Est Rev.mus Consultor qui ad canonem 19 § 1 qui a coetu « de Sacra Hierarchia » probatus est, proponit ut verba « quae bonum spirituale fidelium directe intendunt », sequenti modo mutentur: « quae ad bonum spirituale fidelium directe ordinantur », quia « intendere » intelligi potest ut intentio subiectiva.

Placet omnibus.

Ad § 2. Rev.mus Consultor petit cur mentio non fiat de Superioribus maioribus in religionibus clericalibus.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus quod iam illi Superiores maiores sunt Ordinarii.

Alter Rev.mus Consultor declarat quod attentis litteris apost. *De Episcoporum Muneribus*, a Paulo VI, Motu Proprio d. 15 iunii 1966 datis (A.A.S., LVIII, 467 sqq.), Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus*, art. 8, b, praescriptis canonis 81 derogavit. Petit utrum secunda pars, ubi sermo fit de illo casu urgenti retinenda sit necne.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus: retinetur secunda paragraphus, quia in eadem agitur de omnibus Ordinariis et non tantum de Episcopis dioecesanis.

Est Consultor qui quaerit utrum Episcopi sibi reservare possint aliquas dispensationes. Animadvertis in canone 81 § 2 hanc potestatem negatam esse, quia in ipsa § 2 sermo fit de omnibus Ordinariis qui dispensare possunt in legibus generalibus et in particularibus ... etc. atqui Ordinarii sunt etiam Vicarii Generales; ergo Episcopi non possunt sibi reservare certas dispensationes.

Rev.mus Secretarius Adiunctus respondet quod Episcopi semper possunt sibi reservare quae iudicant sibi reservanda esse, et hoc clare

apparere ex canone 5 (de Vicariis generalibus et episcopalibus), in quo affirmatur Episcopum certas causas sibi reservare posse.

Quidam Consultor censem clarum esse canonem 5 de Vicariis generalibus et de Vicariis episcopalibus.

Canon 81 § 2 placet omnibus uti est.

Canon 3 (82)

Est Exc.mus Consultor qui proponit ut loco « a Concilio regionali vel provinciali aut ab Episcoporum Conferentia » ponatur formula generalis « a legislatoribus infra Romanum Pontificem ». Ratio haec est: in futuro nova potestas oriri potest in Ecclesia.

Censem alter Rev.mus Consultor formulam nuper propositam technice meliorem esse quam formulam Rev.mi Secretarii Adiuncti, tamen omitti non posse mentionem Conferentiae Episcoporum, quae est magna novitas Concilii Vaticani II.

Exc.mus Consultor, cum aliis Consultoribus, concordat ut canon maneat uti est.

Canon 4 (83)

Rev.mus Secretarius Adiunctus quaerit utrum Consultores preeferant particulam « et » loco « aut ».

Omnes preeferunt particulam « et » et approbant canonem.

Canon 5 (84)

§ 1. Placet omnibus uti est.

§ 2. Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit melius dici « licite et valide *conceditur* » quia antea dicitur « petitur » non autem « potest peti ».

Consentient omnes.

Canon 6 (85)

Canon placet omnibus uti est.

Canon 7 (86)

Canon placet omnibus uti est.

Canon propositus de subiecto passivo dispensationis:

« Qui gaudet potestate dispensandi eam exercere valet, etiam extra territorium existens, in omnes subditos, etiam e territorio absentes

atque, nisi contrarium expresse statuatur, etiam in peregrinos in territorio actu degentes ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus exponit quaenam de hac quaestione sit doctrina commentatorum:

1) convenient commentatores omnes dispensationem concedi posse subditis ubique (can. 201, § 3);

2) disputant utrum regula generalis sit potestatem dispensandi exerceri posse erga peregrinos in territorio degentes:

a) negant hoc aliqui, ut A. Van Hove, qui tamen sententiae contrariae probabilitatem agnoscit: arguunt ex can. 201, § 1, atque ex eo quod certis in casibus conceditur expresse potestas dispensandi cum peregrinis (can. 1043, 1245 et 1313, 2º); id etiam negant G. Michiels et M. Conte a Coronata, nisi agatur de legibus particularibus territorii, quibus peregrini subiiciuntur;

b) e contra, affirmant alii, ut E.F. Regatillo, Ph. Maroto et F. Claeys-Bouuaert-G. Simenon, F. Cappello, propter rationes sequentes: peregrini subsunt legibus, quae ordini publico consulunt, et ideo etiam in re favorabili subesse debent iurisdictioni Ordinarii loci; insuper aliqui canones affirmant potestatem ad subditos limitari (can. 990, 1402), ita ut concludi liceat in aliis casibus hanc potestatem adesse; tandem potestas dispensandi generalis est latae interpretationis (can. 66, 68, 85).

Rev.mus Secretarius Adiunctus declarat in canone certo affirmari posse dispensationem concedi posse subditis ubique.

Ad quaestionem utrum generalis norma statui debeat, vi cuius potestas dispensandi erga peregrinos exerceri valeat, rogat utrum admitti possit de potestate dispensandi etiam peregrinos in territorio degentes norma proposita.

Norma proposita placet Rev.mo cuidam Consultori qui tenet praevalere hodie tendentiam de indole territoriali et necessitatem latioris interpretationis.

Alter autem censet hanc potestatem dispensandi limitari posse ad leges quae ordini publico consulunt.

Respondet autem Rev.mus Secretarius Adiunctus tales leges esse particulares, et normam requiri quoad leges universales etiam.

Est porro qui aestimat regulam requiri generalem, non de solis dispensationibus; timet insuper tali concessione fovere fraudem legis. Cui respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus non adesse fraudem

legis in eo qui petit dispensationem ab Ordinario territorii in quo versatur.

Rev.mus Secretarius Adiunctus aliam etiam formulam proponit, scilicet: « Qui gaudet potestate dispensandi, eam exercere valet, etiam extra territorium existens, et, *nisi contrarium expresse statuatur*, in subditos a territorio absentes atque in peregrinos in territorio actu degentes ».

Prior formula placet plerisque Consultoribus.

Animadvertisit autem quidam Consultor in priore formula, ter haberi verbum « etiam ». Proponit ut dicatur « in peregrinos quoque » et « in omnes subditos, licet e territorio absentes ». Placet textus ita emendatus omnibus. A suffragio ferendo abstinet, propter rationes allegatas, Consultor qui timet ne foveatur fraus legis.

Notat Rev.mus alter Consultor quod Episcopus dispensare non potest subditos alibi degentes, in lege quae ibi ordini publico consultit.

Em.mus Praeses admittit quod revera adest aliqua difficultas, sed aestimat regulam esse satis claram; attamen rogat ut in relationeclare affirmetur mentem coetus esse quod Ordinarius tantummodo dispensare potest subditos extra territorium degentes, intra ambitum suaecOMPETENTIAE.

Quaestio de legibus in quibus dispensari potest

Rev.mus Consultor quaestionem movet de legibus in quibus dispensari potest: qui gaudet potestate dispensandi non potest dispensare in omnibus legibus; dispensatio enim non est possibilis in omnibus legibus, in specie non concipitur in legibus quae sunt constitutivae alicuius actus: in can. 1680, § 1 agitur de iis quae actum essentialiter constituunt; normae quae eadem determinant sunt constitutivae eiusdem actus et in iis dispensari non potest.

Quidam Rev.mus Consultor proponit ut in canone 19 de Episcopis addatur Episcopos dispensare posse in omnibus legibus, praeterquam in legibus constitutivis.

Aestimat vero Rev.mus Secretarius Adiunctus aliquam normam esse ponendam in ipso titulo de dispensationibus, quia quaestio respicit notionem ipsam dispensationis. Proponit ergo ut in can. 1 de dispensationibus, sub § 2 ponatur haec norma: « Dispensatio non datur in iis legibus quibus definiuntur ea quae ipsum institutum aut actum iuridicum essentialiter constituunt »; aut norma sequens: « Dispensationi obnoxiae non sunt leges quibus definiuntur ea quae institutorum aut

actuum iuridicorum sunt essentialiter constitutiva»; aut norma sequens: «Dispensationi obnoxiae non sunt leges quatenus definiunt ea quae institutorum aut actuum iuridicorum essentialiter sunt constitutiva».

Omnibus placet haec ultima formula canonis, quae igitur probatur.

Quaestio de extendenda norma can. 2, § 1

Quidam Rev.mus Consultor quaestionem ponit utrum norma canonis 2 § 1, in qua affirmatur potestas Episcoporum dioecesanorum dispensandi in legibus universalibus non possit extendi ad omnes Ordinarios, ergo etiam ad Religiosos.

Rev.mus Secretarius Adiunctus respondet Concilium Vaticanum II, in Decreto *Christus Dominus*, n. 8, b) hanc normam admisisse tantum pro Episcopis dioecesanis. Utrum eadem potestas tribuenda sit Ordinariis religiosis, ad coetum de Religiosis pertinet decisio.

Quaestio utrum laicis conferri possit potestas regiminis

Cum ponatur quaestio de subiecto activo dispensationis, movetur problema generale utrum potestas aliqua regiminis seu iurisdictionis concedi possit laicis in Ecclesia.

Rev.mus Secretarius Adiunctus ponit quaestionem relate ad can. 2 (81), § 2, quaerens utrum laicis concedi possit potestas exexecutiva.

Exc.mo cuidam Consultori placeret quod etiam laici possint habere potestatem exexecutivam.

Em.mus Praeses proponit ut de hac materia studium generale instituatur a peritis, quia agitur de profunda mutatione, quae etiam mulieres respicit.

Rev.mus Consultor dicit se non favere tali concessioni, quia potestas iurisdictionis cohaeret cum potestate ordinis.

Rev.mus Secretarius Adiunctus animadvertisit melius sermonem fieri de potestate regiminis potiusquam de potestate iurisdictionis; nam potestas iurisdictionis in universa historia indicat solam potestatem iudicialem.

Rev.mus alter Consultor notat quod si potestas iurisdictionis cum ordine sacro cohaeret, obstat natura rei quod ipsa potestas laicis detur; si autem potestas iurisdictionis cum ordine sacro non cohaeret eadem potestas laicis dari potest.

Rev.mus tertius Consultor censet bene definiendos esse actus iurisdictionis qui se referunt ad ordines sacros et invitat Consultores ad

cautelam in hac materia quia hodie adest propensio ad negandam differentiam inter sacerdotium ministeriale et sacerdotium regale. Ipse estimat in quaestionibus spiritualibus laicos iurisdictionem habere non posse.

Quartus Consultor animadvertisit quaestionem esse difficilem, sed favet sententiae a tertio Consultore propositae.

Quintus Consultor declarat historice laicos a potestate iurisdictionis ecclesiasticae semper exclusos fruisse. Censem laicis potestatem iurisdictionis non esse concedendam.

Sextus Consultor se refert ad can. 107 ubi dicitur « ex divina institutione sunt in Ecclesia clerici a laicis distincti ... » et ad can. 948 ubi dicitur Ordinem clericos a laicis in Ecclesia distinguere. Proponit ut studium sub aspectu theologico, historico, iuridico fiat de hac materia. Animadvertisit historice existere facta in quibus admissa fuit iurisdictionis laicorum et quosdam autores admittere laicos exercere posse potestatem iurisdictionis. Quaestio est utrum prohibitio vigens nitatur iure divino an iure ecclesiastico. Ad Magisterium Ecclesiae pertinet quaestionem hanc solvere.

Septimus Consultor censem:

- 1) nullam esse difficultatem ut laici etiam mulieres exerceant potestatem iurisdictionis, quae cum ordine sacro non est conexa;
- 2) nullam esse differentiam inter homines et mulieres si ex iure divino non excluduntur laici;
- 3) attamen in concreto opportunum non esse dare laicis facultatem generalem dispensandi.

Octavus Consulor animadvertisit in historia potestatem regiminis aliquam concessam fuisse laicis; ipse non esset contrarius tali concessioni, quia ad eius mentem, non habetur impedimentum maius.

Nonus Consultor censem potestatem iurisdictionis laicis concedi posse, in iis quae cum ordine non connectuntur. Apud nos, affirmat, aequiparantur in Capitulo fratres laici cum fratribus sacerdotibus; attamen, censem, potestatem iurisdictionis laicorum bene circumscribendam esse.

Em. mus Praeses censem quaestionem esse maximi ponderis; declarat:

- 1) Concilium Vaticanum II in lucem protulit primatum Episcoporum et presbyterorum;
- 2) Concilium Vaticanum II multa statuit de laicis, quae praecipue habenda sunt; habent partem in tribus muneribus, suo quidem modo;

3) iuxta Concilium Vaticanum II, laici non possunt simpliciter excludi a potestate regendi exercenda;

4) Abbates initio non erant Sacerdotes neque erant clerici, et tamen habebant iurisdictionem amplissimo modo. (In Hibernia, Abbas ipse gubernabat Ecclesiam et Episcopi qui in Abbatia degebant erant sub iurisdictione Abbatis);

5) clare tamen dicendum est:

a) illam potestatem quae maxime cohaeret cum potestate ordinis laicis tradi non posse;

b) neque illa munera laicis tradenda esse quae stricte cohaerent cum munere docendi.

Proponit igitur ut peritis in scientia theologica et in scientia iuridica munus conferatur votum de hac quaestione conficiendi.

Aliquae quaestiones de dispensationibus

1. Quidam Consultor proponit ut in fine addatur sequens norma: « Meminerint Ordinarii aliisque Superiores se legum violationem tollare vel dissimulare posse solummodo ad mala maiora vitanda vel ad bona maiora conservanda ».

Rev.mus Secretarius Adiunctus non consentit de hac norma modo proposita: est norma quae non agit de dispensatione; insuper est norma moralis, non iuridica.

Etiam alter Consultor non consentit, quia agitur de re morali non iuridica.

Omnis consentiunt ut haec norma proposita non addatur in titulo « de dispensationibus ».

2. Exc.mus Consultor quaestionem ponit utrum titulus « de dispensationibus » mutandus sit necne.

Respondet Rev.mus Secretarius Adiunctus titulum mutandum non esse, quia agitur de dispensationibus sensu stricto.

Alter Consultor censem titulum servandum esse uti est, quia habetur in traditione totius doctrinae iuridicae.

Est denique Consultor qui proponit ut titulus supprimatur, vide licet sequentia in sua relatione scripta notat:

Quoad ipsum titulum: ut titulus specialis, posset supprimi: de re ageretur in tit. I « de legibus Ecclesiasticis ». Ratio est: dispensatio est « legis relaxatio ».

Aliis vero placet ut servetur titulus.

Ita explicit materia in hac sessione tractanda.

Determinatur materia in proxima sessione huius coetus tractanda,
scilicet: recognitio canonum

1) de temporis supputatione (cann. 31-35);

2) de praeceptis omnibus (can. 24);

insuper quaedam normae componi possunt de actibus administrativis et rogantur Consultores ut de hac re studium faciant. Notam bibliographicam de actibus administrativis parabit Rev.mus Consultor cui hoc munus committitur.

Romae, die 31 ianuarii 1969

NICOLAUS PAVONI, *Actuarius*

IV
APPENDIX

I

TEXTUS CANONUM DE LEGIBUS ET DE CONSUETUDINE
cann. 8 - 30

Titulus I - De Legibus

Canon 8

Leges instituuntur, cum promulgantur.

Canon 9

§ 1. Leges Ecclesiae universales promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus aliis promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

§ 2. (*textus propositus*). Earundem legum textus tempore opportuno communicabitur cum omnibus Episcoporum Conferentiis et, si specialiter religiosos respiciunt, etiam Supremis Religionum moderatoribus, ut eodem ex tempore quo in Urbe etiam in variis territoriis divulgari valeant; textus autem ne divulgetur, nisi postquam leges ad normam § 1 promulgatae sunt.

§ 3. Leges ab inferioribus legislatoribus latae promulgantur modo ab ipsis his legislatoribus determinato et obligare incipiunt a die ab iisdem statuto.

Canon 10

Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.

Canon 11

Irritantes aut inhabitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse statuitur.

Canon 12

Legibus mere ecclesiasticis tenentur soli baptizati pro quibus latae sunt, quique sufficienti rationis usu gaudent, et nisi aliud iure expresse caveatur, qui septimum aetatis annum expleverunt.

Canon 13

§ 1. Legibus universalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt.

§ 2. A legibus autem universalibus, quae in certo territorio non vigent, eximuntur omnes illi qui in hoc territorio actu versantur.

§ 3. Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur, firmo praescripto can. 14.

Canon 14

§ 1. Leges particulares non praesumuntur personales, sed territoriales, nisi aliud constet.

§ 2. Peregrini:

1) non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quamdiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales;

2) neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, aut actuum sollemnia determinant, aut res immobiles in territorio sitas respiciunt.

§ 3. Vagi obligantur legibus tam universalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur.

Canon 15

Leges, etiam irritantes et inhabitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti in eis dispensare possunt Ordinarii, nisi agatur de dispensatione quam Suprema Ecclesiae auctoritas sibi aut alii auctoritati reservaverit.

Canon 16

§ 1. Ignorantia legum irritantium aut inhabitantium, sicut et aliae causae quae imputabilitatem minuant vel tollunt, licet a culpa excusare possint, earundem tamen effectum minime impediunt, nisi aliud expresse statuatur.

§ 2. Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.

Canon 17

§ 1. Leges authentice interpretatur legislator et is cui potestas authentice interpretandi fuerit ab eodem commissa.

§ 2. Interpretatio authentica per modum legis exhibita eandem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis in se certa declareret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicit, non retrotrahitur et promulgari debet.

§ 3. Data autem per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est.

Canon 18

Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit, ad locos parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.

Canon 19

Leges quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.

Canon 20

Si certa de re desit expressum legis sive universalis sive particularis praescriptum, causa, nisi sit poenalis, dirimenda est secundum consuetudinem canonice inductam; quae si deficiat, norma causae applicanda sumatur attentis legibus latis in similibus; generalibus iuris ca-

nonici principiis cum aequitate servatis; iurisprudentia ecclesiastica, praesertim stylo et praxi Curiae Romanae; communi constantique doctorum sententia.

Canon 21

Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit.

Canon 22

Lex posterior a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed, (firmo praescripto can. 6, n. 1), lex universalis minime derogat locorum iuri particulari nec personarum specialibus statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur.

Canon 23

In dubio revocatio legis praexistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores thahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae.

Titulus II - De Consuetudine*Canon 25*

In Ecclesia ea tantum consuetudo a communitate christiana introducta vim legis habet, quae a legislatore approbata fuerit, ad normam canonum qui sequuntur.

Canon 26

§ 1. Nulla consuetudo vim legis obtinere potest quae sit iuri divino sive naturali sive positivo contraria.

§ 2. Nec vim legis obtinere potest consuetudo contra aut praeter ius canonicum, nisi quae sit rationabilis: consuetudo autem quae in iure expresse reprobatur, non est rationabilis.

Canon 27

Nulla consuetudo vim legis obtinet, nisi quae cum animo iuris inducendi a communitate legis saltem recipienda capace servata fuerit.

Canon 28

Nisi a competenti legislatore, consensu saltem tacite manifestato, specialiter fuerit probata, consuetudo vigenti iuri canonico contraria aut quae est praeter legem canonicam, vim legis obtinet tantum, si legitime per annos viginti continuos et completos servata fuerit; contra legem vero canonicam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praevalere potest consuetudo centenaria aut immemorabilis.

Canon 29

Consuetudo est optima legum interpres.

Canon 30

Firmo proposito can. 5, consuetudo, sive contra sive praeter legem, per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de iis mentionem faciat, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex universalis consuetudines particulares.

II

TEXTUS CANONUM DE RESCRIPTIS, DE PRIVILEGIIS,
DE DISPENSATIONIBUS

Titulus IV - De Rescriptis

Canon 1 (novus)

Quae in canonibus qui sequuntur de rescriptis statuuntur, de concessionibus gratiarum vivae vocis oraculo quoque valent, nisi aliud manifesto constet.

Canon 2 (36)

§ 1. Rescripta a quacumque auctoritate, intra fines suae competentiae agente, impetrari libere possunt ab omnibus qui expresse non prohibentur.

(§ 2. Gratiae omne genus a competenti auctoritate concessae etiam censura irretitis validae sunt, salvo praescripto can. ... etc.).

N.B. - Haec altera § utrum servanda sit necne, definietur attentis praescriptis iuris poenalis recogniti, in specie can. 2265, § 2, 2275, n. 3, 2283).

Canon 3 (37)

Rescriptum impetrari potest pro alio etiam praeter eius assensum, et valet ante eiusdem acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat.

Canon 4 (38)

Rescripta quibus gratia conceditur sine intericto exsecutore, effectum habent a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore exsecutionis.

Canon 5 (39)

Conditiones in rescriptis tunc tantum essentiales pro eorundem validitate censentur, cum per particulas *si, dummodo*, vel aliam eiusdem significationis exprimuntur.

Canon 6 (40-42)

§ 1. Validitati rescriptorum obstat subreptio seu reticentia veri, si in precibus expressa non fuerint quae secundum iurisprudentiam canonicam ad validitatem sunt exprimenda, nisi tamen rescripta "motu proprio" data sint.

§ 2. Item validitati rescriptorum obstat obreptio seu expositio falsi, si ne una quidem causa motiva proposita sit vera.

§ 3. Quae causa motiva, in rescriptis quorum nullus est exsecutor, vera sit oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore exsecutionis.

Canon 45

Hic canon includitur in can. 6 § 1.

Canon 7 (43)

Gratia a quovis Dicasterio Romanae Curiae denegata, invalide ab alio eiusdem Curiae aliave competenti auctoritate, infra Summum Pontificem, conceditur, sine assensu Dicasterii quocum agi coeptum fuit.

Canon 8 (44)

§ 1. Salvis praescriptis §§ 2 et 3, nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat, nisi facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.

§ 2. Gratia a Vicario Generali vel a Vicario Episcopali denegata, ab alio Vicario eiusdem Episcopi, etiam habitis a Vicario abnegante denegationis rationibus, valide concedi nequit.

§ 3. Gratia a Vicario Generali vel a Vicario Episcopali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo dioecesano impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo diocesano denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, ab eius Vicario Generali vel Vicario Episcopali, non consentiente Episcopo, impetrari (cf. Motu proprio *Ecclesiae Sanctae*, I, n. 14, § 4).

Canon 9 (46)

Rescripta, etiam *Motu proprio* concessa, personae de iure communi inhabili ad consequendam gratiam de qua agitur, itemque edita contra

alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri quae situm, non sustinentur, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur.

Canon 10 (47)

Rescripta non fuit irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio.

Canon 11 (48)

§ 1. Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrentur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali.

§ 2. Si sint aequae peculiaria aut generalia, prius tempore praevalet posteriori, nisi in altero fiat expressa mentio de priore, aut nisi prior impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.

§ 3. In dubio utrum rescriptum irritum sit necne recurratur ad rescriptentes.

Canon 12 (49)

Rescripta intelligenda sunt secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debent ad casus alios praeter expressos extendi.

Canon 13 (50)

In dubio, rescripta quae ad lites referuntur, vel iura aliis quae sita laedunt, vel adversantur legi, in commodum privatorum, strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam.

Canon 14 (51)

Rescriptum in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in eisdem litteris praecipiatur, aut de rebus agitur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oporteat.

Canon 15 (52)

Rescripta, quorum praesentationi nullum est definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

Canon 16 (53)

Rescripti exsecutor invalide munere suo fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi prævia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate resribentis transmissa.

Canon 17 (54)

§ 1. Si in rescripto committatur merum exsecutionis ministerium, exsecutio rescripti denegari non potest, nisi aut manifesto appareat rescriptum esse nullam vel sustineri non posse, aut in rescripto apponantur conditions quas exsecutori constet non esse impletas; si tamen is in cuius favorem rescriptum est concessum adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio, exsecutor exsecutionem intermitat atque de re statim certiorem faciat resribentem.

§ 2. Quod si in rescripto concessio gratiae exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere aut denegare.

Canon 18 (55)

Exsecutor procedere debet ad mandati normam, et nisi conditions essentiales in litteris appositas impleverit ac substantialem procedendi formam servaverit, irrita est exsecutio.

Canon 19 (56)

Exsecutio rescriptorum quae forum externum respiciunt, scripto facienda est.

Canon 20 (57)

Rescriptorum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut electa industria personae, aut substituti persona præfinita; quibus tamen in casibus exsecutori licet alteri committere actus præparatorios.

Canon 21 (58)

Rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt, etiam ab exsecutoris successore in officio vel dignitate, nisi fuerit electa industria personae.

Canon 22 (59)

Exsecutori fas est, si quoquo modo in rescriptorum exsecutione erraverit, iterum eadem exsecutioni mandare.

Canon 23 (novus)

Nemo uti tenetur rescripto in sui dumtaxat favorem concesso, nisi aliunde obligatione canonica ad hoc teneatur.

Canon 24 (79)

Quamvis gratia oretenus sibi concessa quis in foro interno uti possit, tenetur illam in foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

(hic canon excerptus est ex tit. de privilegiis)

Canon 25 (60)

§ 1. Revocatio rescripti per actum peculiarem Superioris effectum tantummodo obtinet a momento quo significetur ei qui rescriptum obtinuit.

§ 2. Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius resribentis.

Canon 26 (61)

Per cessationem resribentis ab officio, rescriptum ab eodem concessum non perimitur, nisi aliud ex appositis clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.

Canon 27 (62)

Si rescriptum contineat non simplicem gratiam, sed privilegium vel dispensationem, serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur.

Titulus V - De Privilegiis

Canon 1 (63)

§ 1. Privilegia, seu gratiae contra aut praeter ius in favorem certarum personarum, sive physicarum sive moralium, per peculiarem actum factae, a sola auctoritate competenti concedi valent.

§ 2. Possessio centenaria vel immemorabilis praesumptionem inducit concessi privilegii.

Canon 2 (66)

§ 1. Facultates habituales quae conceduntur aut in perpetuum aut ad praefinitum tempus aut ad certum numerum casuum, accensentur privilegiis praeter ius.

§ 2. Nisi in earum concessione aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultates habituales Episcopo aliisve Ordinariis concessae, non perimuntur resoluto iure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi ipse eas exequi cooperit, sed transeunt ad quemvis Ordinarium qui ipsi in regimine succedit.

§ 3. Item, nisi aliud expresse cautum sit aut electa industria personae, facultates habituales Episcopo concessae competit quoque Vicario Generali atque, intra fines suae competentiae, Vicario episcopali.

§ 4. Concessa facultas alias quoque potestates secum fert quae ad illius usum sunt necessariae; quare concessa facultas habitualis potestatem etiam includit removendi obstacula, si quae sint, gratiae executionem impedientia, ad effectum dumtaxat gratiae consequendae.

Canon 3 (67-68)

Privilegia interpretanda sunt ad normam canonum 49 et 50; sed ea semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam revera gratiam consequantur.

Canon 4 (79)

Quamvis privilegio oretenus sibi concesso quis in foro interno uti possit, tenetur illud in foro externo probare, quoties id legitime ab eo petatur.

(Hic canon estne transferendus sub titulo De rescriptis post can. 23?).

Canon 5 (79, 74, 75)

- § 1. Privilegium praesumitur perpetuum, nisi contrarium probetur.
§ 2. Privilegium personale, quod quidem personam sequitur, cum ipsa extinguitur.
§ 3. Privilegium reale cessat per absolutum rei vel loci interitum; privilegium vero locale, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscit.

Canon 6 (71)

Privilegium cessat per revocationem competentis Superioris ad normam can. 60.

Canon 7 (72)

- § 1. Privilegium cessat per renuntiationem a competente Superiore acceptatam.
§ 2. Privilegio in sui dumtaxat favorem concesso quaevis persona privata renuntiare potest.
§ 3. Concesso autem alicui personae morali, aut ratione dignitatis loci vel rei, renuntiare privatis personis non licet.
§ 4. Nec ipsi personae morali integrum est privilegio sibi concesso renuntiare, si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.

Canon 8 (73)

Resoluto iure concedentis, privilegium non extinguitur, nisi datum fuerit cum clausula: *ad beneplacitum nostrum*, vel alia aequipollenti.

Canon 9 (76)

Per non usum vel per usum contrarium privilegium aliis haud onerosum non cessat; quod vero in aliorum gravamen cedit, amittitur, si accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio.

Canon 10 (77)

- § 1. Cessat privilegium elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus fuit concessum, firmo praescripto can. 207 § 2.

§ 2. Cessat quoque, si temporis progressu rerum adiuncta ita, iudicio auctoritatis competentis, immutentur ut noxium evaserit aut eius usus illicitus fiat.

Canon 11 (78)

Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa privilegio ipso privari meretur; quare Ordinarius, frustra monito privilegiario, graviter abutentem privet privilegio quod ipse concessit; quod si privilegium concessum fuerit ab Apostolica Sede, eamdem Ordinarius certiorem facere tenetur.

Titulus V - De Dispensationibus

Canon 1 (80)

§ 1. Dispensatio seu legis ecclesiasticae in casu speciali relaxatio, concedi potest a conditore legis, ab eius successore vel in potestate legislativa Superiore, necnon ab illis quibus potestas dispensandi explícite vel implicite competit sive ipso iure sive vi legitimae delegationis.

§ 2. Dispensationi obnoxiae non sunt leges quatenus definiunt ea quae institutorum aut actuum iuridicorum essentialiter sunt constitutiva.

Canon 2 (81)

§ 1. Ab universalibus Ecclesiae legibus aliisque a supra Ecclesiae auctoritate latis pro suo territorio, dispensare valent Episcopi dioecesani, ad normam can. 19 (de Episcopis dioecesanis) (1).

(1) Coetui « de Sacra Hierarchia » canon 19 de Episcopis dioecesanis sequenti modo proponitur complendus et emendandus: Can. 19. § 1. Episcopus dioecesanus in disciplinaribus legibus *tam universalibus quam particularibus a supra Ecclesiae auctoritate pro suo territorio latis*, quae ad bonum spirituale fidelium directe ordinantur, tum praceptivis et prohibitivis, tum irritantibus et inhabilitantibus, dispensare valet, in casibus particularibus, fideles in quos ad normam can. ... auctoritatem exercet, quoties id ad eorundem bonum spirituale conferre iudicet, firmo praescripto can. 81, § 2, et salvo praescripto § 2.

§ 2. Dispensare nequit in *bisce* legibus is quibus iuris praescripto vel decreto particulari dispensatio Apostolicae Sedi aliive auctoritati specialiter reservatur.

NOTA: *Ad can. 2 (81), § 2.* In votis est coetus « de normis generalibus », ut deinceps in iure nomine Ordinarii veniant etiam Superioris maiores in religionibus clericalibus non exemptis, quippe qui in iure condendo potestate executiva, scilicet ad actus administrativos ponendos, instrui possunt relate ad suos subditos. Quod si

§ 2. Si difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, omnes Ordinarii infra Romanum Pontificem in casu particulari dispensare valent in legibus Ecclesiae universalibus et in particularibus a suprema auctoritate pro suo territorio latis, de quibus in can. 19 (de Episcopis dioecesanis), etiam si dispensatio reservetur Sanctae Sedi, dummodo tamen agatur de dispensatione quam Sancta Sedes in iisdem adjunctis concedere solet.

Canon 3 (82)

A legibus dioecesanis atque, in casu particulari tantum, a legibus latis a Concilio regionali vel provinciali aut ab Episcoporum Conferentia, dispensare valent Episcopi dioecesani atque Vicarii generales et, intra fines suae competentiae, Vicarii episcopales, ad normam can. 5 (de Vicariis generalibus et episcopalibus).

Canon 4 (83)

§ 1. A lege ecclesiastica ne dispensemur sine iusta et rationabili causa, habita ratione adjunctorum casus et gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio ab inferiore data illicita et invalida est.

§ 2. Dispensatio in dubio de sufficientia causae licite petitur atque licite et valide conceditur.

Canon 6 (novus)

Qui gaudet potestate dispensandi eam exercere valet, etiam extra territorium existens, in subditos, licet e territorio absentes atque, nisi contrarium expresse statuatur, in peregrinos quoque in territorio actu degentes.

Canon 7 (85)

Strictae subest interpretationi non solum dispensatio ad normam can. 50, sed ipsam facutas dispensandi ad certum casum concessa.

Canon 8 (86)

Dispensatio quae tractum habet successivum, cessat iisdem modis quibus privilegium, nec non certa ac totali cessatione causae motivae.

huic voto non obsecundetur, can. 2 § 2 complendus est verbis: «... omnes Ordinarii infra Romanum Pontificem *necnon Superiores maiores in Institutis religiosis clericibus aliisque eisdem aequiparatis ...*».

